



1773,41.
355

DISSERTATIO
DE
POENIS PRO FREQUENTIA
DELICTORVM TEMPERANDIS
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P V T T M A N N O

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR.
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XIX. IANVAR. MDCCCLXXXIII

H. L. Q. G

AD

D I S C E P T A N D V M
P R O P O S I T A

A

GOTTHILF HIOB BVRGHART
ELSTERBERGENSI

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



P. S Y R V S

Nisi vindices delicta, improbitatem adiuvas.

Qui vni culpae ignoscit, suadet pluribus.



DISSERTATIO
DE
POENIS PRO FREQUENTIA
DELICTORVM TEMPERANDIS



umquam mihi placuit, quod apud TACI-
TVM Ann. III. 53. TIBERIVS ait:
Quodsi mecum ante viri strenui aediles consilium
habuissent, nescio, an suasurus fuerim
omittere potius praeualida et adulta vitia, quam hoc consequi,
ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Facile
quidem hoc condonamus TIBERIO, quem fortasse
puduit, in aliis reprehendere, quod ipse faciebat, cui-
que adeo illud HORATII placebat:

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.

Sane nec hodie desunt, qui vitiis, quibus ipsi dediti
sunt, indulgendum, et quaedam delicta, in quae timent

A 2 ne



ne ipsi aliquando incident, p[ro]ae aliis lenius coercenda censeant: quos cum cogito, in mentem mihi venit facetum DIOGENIS dictum, qui interrogatus, cur mendicis largirentur potius homines, quam philosophis? quia, inquietabat, claudi ac caeci potius, quam philosophi euadere sperant. Dicunt quidem Mitiones illi:

*Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox datus
Progeniem vitiſorem.*

Cum igitur homines quotidie peiores fiant, dandum aliquid esse humanitati, neque ab aliis exigendum, quod ipse praestare haud possit. Pudenda profecto seculo verba, simul laxae, corruptaeque morum disciplinae testimonia! Quasi scilicet verum esset, quod de hominibus in peius semper ruentibus ex HORATIO illi repetunt, et quasi non omni tempore maleferiati atque improbi homines fuissent. Quanto rectius ECCLESIASTES VII. 10. *Noli querere, quid sit, cur superiora tempora fuerint meliora praesentibus: nam istud parum sapienter interrogas.*)*

Multa

*.) Eleganter GRESSETVS (T. I. p. 202.)

*Ce n'est donc qu'une belle fable:
N'envions rien à nos ayeux;
En tout temps l'homme fut coupable,
En tous tems il fut malheureux.*

Multa profecto olim fuerunt popularia ac fere sollempnia
 vitia, quae nunc vix nomine tenus nouimus, aut in quae
 saltem non nisi rarissime homines incidunt. Quoties
 quaeso audimus aliquid de scopelismo, de crimine olim
 tam diuersa ratione perpetrato, ubi sexus perdit locum,
 venusque mutatur in aliam formam? Nonne fere eva-
 nuerunt nata olim ex superstitione, foecunda vitiorum
 matre, aliaque clericorum maxime crimina, de quibus
 GROTIUS alicubi scribit: *Qui legit historiam ecclesiasticam,*
quid nisi Episcoporum vita legit? Quid memorem bella
 priuata, depraedationes frequentes, singularium certami-
 num furorem, quandam fere quotidianum, nunc, quae
 nostri felicitas seculi est, prorsus fere extirpatum? Quem-
 admodum igitur mens humana facile, quodcumque sibi
 imperat, obtinet, nihilque, ut apud CVRTIVM VII.
 II. legimus, tam alte natura constituit, quo virtus non
 possit eniti, ita etiam iis, qui regunt rempublicam, si
 non ad extirpanda plane vitia, certe ad minuendum
 eorum numerum plerumque sufficit, *serio voluisse.**)
 Nemo autem eo se peruenire posse putet, nisi poenae, iu-
 ste sanctiae, seuere exerceantur, nullisque praetextibus
 aut effugii locus relinquatur. Eleganter CAECILIVS
 apud GELLIVM XX. I. *An putas, si non illa etiam ex*

A 3

XII.

* Apposite Abbas DESMARAISIVS (Tom. I. p. 222.)

*Pour bannir les duels de l'empire des Lys
 Envain nos plus grands Rois ont tout mis en usage.
 Le ciel au seul Louis reservoit cet ouvrage.
 IL PARLE, et pour jamais on les voit abusis.*



XII. Tab. de testimonii falsis poena aboleuisset, et si nunc quoque, ut antea, qui falsum testimonium dixisse coniunctus esset, e Saxo Tarpeio deliceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos, quam videmus? Neque vero vitam hominum, nisi in grauissimis quibusdam delictis, exposcimus, sed certitudinem suppliciorum, utque culpam poena semper premat comes, desideramus. Verissime BECCARIA de delict. et poen. §. 22. Fortissimum facinorosorum hominum frenum haud severitas, sed certitudo poenarum est. — Poena mediocris, eaque ineuitabilis, magis semper malorum animos percellet, quam metus supplicii multo severioris, coniunctus cum spe illud euitandi. Numquam autem cum CICERONE dicamus: *Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa licet.* Verissime enim HORATIVS Carm. IV. 4.

*Vt cumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae,*

itemque SALVIANVS de gubern. Dei Lib. VII. Ne quaquam facere nos improbos improbitas debet aliena; quia quemlibet hominem magis sibi praeflare conuenit, ut sit bonus, quam alteri, ut sit malus, et plus laborandum est, ut placeamus Deo per honestatem, quam hominibus per impuritatem. Quemadmodum igitur medici, quo vehementior est morbus, eo acriora adhibent remedia, ita a multis iisque sapientissimi viris praeceptum est, ut quantum flagitia creuerint, tantum legibus addatur severitas. Eadem sententia fuit veterum ICTORUM, inque his CLAVD. SATURNINI in l. 16. §. 10. D. de poen. Nonnunquam eueniit, ut aliquorum maleficiarum supplicia exacerbentur, quoties nimurum

mirum multis personis graffaniibus exemplo opus sit, nec non
VLPIANI in l. 1. D. de abig. Abigei non ubique durissime
puniuntur, sed ubi frequentius est id genus maleficii. Quid
igitur PAVLLO in mentem venit, quando Rec. Sent.
Lib. V. Tit. 3. §. 5. scriptit: Fures vel raptore balnearum
plerumque in metallum aut opus publicum dannantur. Non-
numquam pro frequentia admissorum iudicantis sententia tempe-
ratur. Inaudita haec visa sunt IO. VAN DE WATER
Obs. Iur. Rom. Lib. I. c. 13. Quis enim, inquit, e re
publica arbitrabitur, frequentiam delicti sue ab uno, sue a mul-
tis nebulonibus commissi efficere, quo iudicis arbitrium in mi-
tiorem partem fleatur. Siccine via aperietur scelosissimae
turbae Sinoniis artificis semper aliorum inhiare bonis,
spe mitioris poenae proposita? — Nonne stultum explo-
deremus eum, qui turpitudinem delicti exemplorum usu,
et consuetudine veniam deprecaretur? — Indigno ta-
li modo ne quis Paullum innocentem ludibrio habeat,
propriam ei lectionem reddam: Nonnumquam pro infre-
quentia admissorum iudicantis sententia temperatur. En-
cor Zenodoti, en iecur Crateris! Fallor, aut fefel-
lit bonum WATERVM ignoratio vis particulae pro,
quam si perspectam habuisset, manibus, sat scio, tem-
perasser, nihilque corrigendum censuisset. Magnas sae-
pe minima criticos inter particula turbas mouet, neque
desuit, qui ioculariter optaret, vt Romae congregatio
de particulis, seu concilium perpetuum de vero sensu
rectoque usu particularum instituatur. Notum autem
est, τὸ pro saepe relationem atque proportionem indi-
care. Eleganter ADELPHASIVM apud PLAVTVM
Poen. I, 2, 73.

Pro



*Pro herili et nostro quaestu (qui perexiguus erat)
satis bene ornatae sumus.*

*Non enim potest quaestus consistere, si eum sumptus su-
perat, soror.*

Nec aliter LIVIVS, cum Libr. XXXVI, c. 10. Ibi
castra metatus latius, quam pro copiis, tum aliis locis
multis, quos iam describere haud vacat. Ne autem
solos exterios scriptores ita locutos esse existimes, audi
quaeso VLPIANVM in l. 1. §. 10. D. de extr. cogn.
In honorariis aduocatorum ita versari iudex debet, ut pro
modo litis, proque aduocati facundia, — affirmationem
adhibeat. Iam etsi aduocatus balbutiat, etsi illi sit os
blaesum, linguaque debilis, nihilo tamen minus pro
eius facundia honorarii quantitas determinabitur. Sic
porro idem in l. 3. D. de ann. leg. Et puto eas (pen-
siones) deberi — quas vir bonus fuerit arbitratus: ut
pro facultatibus defuncti et depositione patrimonii (seu ma-
gni seu parui) debeat, ut alia exempla, quae facile
possent cumulari, praeteream. Quod ad verbum ad-
missorum attinet, haud quidem me praeterit, saepius
illud cum a nostris, tum exteris scriptoribus pro de-
lictis aut criminibus adhiberi. Idem vero scio, inter-
dum etiam τὸ admissor reum seu delinquentem denotare.
Ita sane DIOCLETIANVS et MAXIMIAN. in Collat.
Leg. Mof. et Rom. Tit. VI. §. 4. dixerunt admissores cri-
minum, neque ab hoc verbo abstinuit LACTANTIVS
Epit. Cap. 63. Quodsi interesse homicidio scleris conscientia
est, et eidem facinori spectator obstrictus est, cui et admissor — *)

Qua-

*) Hunc usum verbi admissor nuper etiam obseruauit IO. CHERI-
STOPHOR. AMADVTIVS ad Leg. Aneclor. Theodos. et Va-
lentin. p. 170.



9

Quare igitur illo hac ratione vti haud potuerit PAVLLVS eo loco, in quo vindicando cum maxime versamur? Denique verbum *temperare* non modo pro *moderari*, vti illud intellexisse videtur WATERVS, sed etiam pro *accommodeare*, *administrare*, *regere* ponitur. Sic optimi saepe scriptores dixerunt *temperare rempublicam*, *civitates*, cum dicere vellet *regere*.

E multis vnum iam laudabo CICERONEM
Acad. 4. 3. In eodem tanta prudentia fuit in constitutis tem-
perandisque ciuitatibus, tanta aequitas, rel. Quidni igitur ita iam nobis liceat PAVLLVM interpretari: Nonnum-
quam frequentiae (magnae aut paruae) seu reorum seu delictorum rationem iudex habebit, illique sententiam suam aptabit et attemperabit? Et quemadmodum ICti no-
stris saepe idem diuersis verbis dicunt, ita etiam PAVL-
LV S nihil dixit, quod a SATVRNINI ET VLPIANI
sententia recederet. Ita autem, ni fallor, euaneſcit emendationis a WATERO propositae necessitas, et ad-
huc magis, spero, euaneſcat, si alio etiam modo PAVLLI
verbis rationem constare ostendero. Dixerit ille, fre-
quentiam seu multitudinem reorum interdum poenae mi-
tigationi locum facere. Nonne idem nostri hodie dicunt iuris criminalis interpretes, cum insignem reorum mul-
titudinem inter cauſas poenae mitigandae referunt?

Vid. IO. SAM. FRID. BOEHHERI *Elem. Iur. Crim.*
Sect. II. Cap. I. §. 22. Numquamne legisti, WATERE,
quod CICERO pro Cluentio c. 46. scripsit: *Statue-
runt maiores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris
admissum, fortitione in quosdam animaduerteretur, ut metus
videlicet ad omnes, poena ad paucos perueniret; et LI-
VIVS 28. 26. Per eisdem dies, quibus haec illi consulta-
bant, consilium de iis Carthagini erat, certabantque seu-*
ten-

B



tentiis, virum in autores tantum seditionis — animaduerteretur, an plurium suppicio vindicanda tam foedi exempli defectio magis, quam seditio esset. Vicit sententia senior, ut unde orta culpa esset, ibi poena consisteret, ad multitudinem castigationem satis esse. Cui quaeſo ignota decimatio, vicesimatio et centesimatio, qua de re praeter DRESSELII diff. de *decimatione delinquentium*, confer. GERH. SICHTERMANN de poenis militaribus Romanis. in *Thes. differt. Belgic.* Vol. II. Tom. I. p. 256. Quomodo vniuerſitas puniatur, praeter alios docuit PVEFENDORFIUS in *I. N.* et *G. Lib. VII. c. 3.* et quid dicam de homicidio in turba commisso, cuius memorabile exemplum ex HERODOTO refert P. AERODIVS *Decretor. L. II. T. 12.* Vici scilicet aliquando Athenienses ad unum usque omnes interfecti erant. Is cum solus Athenas rediisset, aegre tulerunt occisorum vxores, hunc unum superstitem esse atque incolunem. Igitur omnes, quasi de viris suis, deinde communis clade quaefiturae, hunc circumfusae ambient, fibulisque et acubus vestium suarum compungentes tandem interficiunt. Quae caedes cum Atheniensium magistratibus ipsa accepta clade grauior videretur, diu multumque inter eos actum est, qua poena vindicari debeat. Quia ad nimis multis hoc crimen pertinebat, in omnes animaduersti non oportere videbatur. In unam aut alteram capitis anquirere, id quidem aequum et iustum esse, si ea inter ceteras agnosceretur, quae vel ferire inchoasset, vel cuius iactu ille potissimum periret. Attamen aliiquid vel dolori concedendum, si hanc maxime cognouissent. Quid igitur? nec damnari ullam, nec omnes absolui placuit. Id modo constitutum, vt eo in posterum vestimenti genere omnes vterentur mulieres, cui componendo fibulis et



et acibus non opus esset. Credat Iudaeus Apella. Sed haec obiter.

Si iam ex me quaeras, quid mihi de proposita quaestione videatur, primum quidem inter frequentiam delicti a singulis commissi, et reorum, qui crimen aliquod simul perpetrarunt, multitudinem, distinguere, deinde autem, an hoc casu poena legibus satis sit determinata, an secus, videre te iubebo. Ob frequentiam delicti neminem facile excusari, vno fere ore docent omnes, qui de modo poenarum praecipiunt. *Poena exasperanda*, inquit HEINECCIVS in *Praelect. in Pufendorf. p. 477.* si delictum frequentius; abigeatus grauius puniebatur in Hispania, scopelismus apud Arabes: et GER. SCHELTINGA in Fellenberg. *Iurisprud. Ant. Tom. II. p. 469.* Sane hic fere perpetuus legislatorum est mos, ut quam in partem hominum cupiditates magis propendere atque a legitimo tramite exorbitare viderint, ei se parti maxime opponant, minus solliciti de ea, a qua non tantum imminet periculum. Sin multi simul in delicto aliquo, cuius poena tantum est arbitraria, deprehendantur, insignisque reorum sit multitudo, in quos omnes severa animaduertere haud e republica esset, tunc quidem, ne forte vulneri addatur vulnus, cicatrici cicatrix, mitius de iis statuendum esse existimo. Egregie rem dixit CHR. GOTLIEB RICCIUS in *Spicil. ad Engau. Elem. Iuris Germ. p. 14.* Interim tamen hi mores, vtentium consuetudine alicubi recepti, si a via iuris civilis discedunt, id habent commodi, ut in poenis arbitrariis constituendis aliquando magis fere illis parcatur, qui non sine exemplo, sed ex consuetudine multorum peccarunt, si ex negligentia iudicis, qui delicti poenam aliquoties non exegit, iudicari possit, reos ignorantia aut spe



erronea impunitatis deceptos delinquisse. Is enim, qui reliquorum imitatione vel consuetudine seductus ad delinquendum, non dolo tam insigni peccavit, atque adeo mitiori poenae aliquando locus esse potest. Sed impunitas frustra speratur moris seu consuetudinis obtentu; multo minus frequentia delicti vel consuetudo delinquendi facit ius. Hinc falluntur aduocati, qui excusandis delictis clientium ad consuetudinem aut desuetudinem etiam spe poenae evitandae subinde confugiunt; si enim poena certa ac definita, propter consuetudinem peccandi a iudece non temperatur, nisi a Principe venia eius impetretur. Valeat igitur etiam hic, quod in l. 2. C. quae sit long. consu. legimus: *Consuetudinis ususque longacui non viles est auctoritas, sed non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem; nec non in l. 5. C. de leg.* Ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Non poenitet enim nos in eorum concedere sententiam, qui negant, in republica vnius imperio subiecta legem scriptam per consuetudinem posse abrogari, qua de re vid. COCCII de vi consuetudinis in Principatu, et A. G. PAGENSTECHER in Adversar. Cap. XV. Sect. 2. Nae frustra esset, quisquis cum PLAVRO Trin. IV. 3, 30. hodie diceret:

*Mores leges perduxerunt iam in suam potestatem,
Magis queis sunt obnoxios, quam parentes liberis.
Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat aequius.*



ULB Halle
004 758 501


3



Sb







1773,41.
355

DISSERTATIO
DE
**POENIS PRO FREQUENTIA
DELICTORVM TEMPERANDIS**
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
**IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P V T T M A N N O**
I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
A. D. XIX. JANVAR. MDCCCLXXIII
H. L. Q. C
AD
D I S C E P T A N D V M
P R O P O S I T A
A
G OTTHILF H IOB B VRGHART
E L S T E R B E R G E N S I

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA